

**05
A
1530**

בְּשׁוֹךְ הַכְּבָדָה:
אֲוֹרִים וְתֹמִים

xxxix

f.

De

Urim & Tummim

DISSERTATIO PHILOLOGICA
PRIOR,

Qvam

Sub PRÆSIDIO

VIRI AMPLISSIMI & EXCELLENTISSIMI

DN. ANDREÆ SENNERTI,

Lingv. Oriental. Profesforis Publ. celeberrimi,
& Academiæ SENIORIS
venerandi,

In INCLYTA LEUCOREA

Publicæ συμφιλούγκντων ἐξετάσεως
submittit

M. JOHANNES Delreich / Scanus,

A. & R.

*In Auditorio Majori.**Ad Diem VI. Octobr. M. DC. LXXVII.*

WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



05 A 1530

Citè profectò dixit, qvicunqve
 fait, χαλεπὰ τὰ ναλά. Difficilia, qvæ pul-
 chra. Qvippe ea rerum optimarum indo-
 les, ut, qvicqvid habeant eximii, minus in
 conspicuo esse patiantur. Qvicqvid sit, mul-
 ta tamen, solò, ut ita loqvamur, nomine
 lenocinantur, & occultā qvādam naturæ vi
 ad ea inquirenda propellimur: Scilicet in-
 quietos nos agit Venustatis Amor, nec qvicqvm rectius nostro
 mederi desiderio, qvām rerum pulchritudo potest; imò non ac-
 quiescimus ante, qvām in solidam, si modò fieri posít, earundem
 cognitionem pervenerimus, & γαρ οὐδέποτε τι περίτελλον οὐδέν, in-
 quirat Nazianzenus. De profanis non est, qvod dicamus; qvis, qvæso,
 nescit, innumera in sacris reperiri Venustatis exempla, eadem ve-
 rò nostri respectu in altissimis mysteriorum latebris recondi, ne-
 mo est, qvi ignoret; scilicet nomina scimus, rerum verò ipsarum
 confusam, ne dicam accuratam, habere cognitionem, tam est diffi-
 cile, qvām qvod difficillimum. Aharonem maximum Gentis Ju-
 daicæ sacerdotem summi illius & verè maximi, melioris utpote
 testamenti Mediatoris & Pontificis, Jesu Christi Typum illum clari-
 simum contemplamini. Qvanta, qvæso, Personæ Majestas;
 qvanta officii dignitas! quantus in vestitu decor, quantus in or-
 natu nitor! Verū: qvot ibi mysteria? qvot abstrusa? qvot oc-
 culta? qvot indagatu difficilia? Omnia excutere tenuitatis no-
 stræ memores nec volumus nec possumus. Unicum saltem Aharo-
 njici pectoralis Insigne verè insigne לֶפִי עֲנוֹת רְתָן ut lo-
 quantur Hebrai, considerare statuimus. Certè profectò, si qvod
 res est, nobis hac de re dicendum, idem fateamur necesse est,

A 2

qvod

qvod de sectione Num. XIX. 2. in libro Jalkut, fol. 187. col. 1. his
 consignatum verbis legimus : **כִּי זֶה נָכֹתֵן בְּחַכְמָה לֹא**
 הנחרתי חכמה בעולם שלא אמרתו עליה וכיוון שהגעתו
לפְּרִשְׁת פָּרָה אֲרוֹמָה אָמְרָתִי אַחֲכָמָה וְהִיא רְחוּקָה
 ממוני : *Omne hoc tentavi in sapientia, & nibil in mundo reli-
 gyum feci de sapientia, qvod non dixerim, at postquam perveni ad
 sectionem, de vacca rufa (Num. XIX. 2.) dixi, nunc acquiram sa-
 pientiam, & illa longius à me recessit. Imò ipse etiam Buxtorfius
 tantæ eruditio[n]is Vir in Exercit. Exercit. 3. c. 1. p. 269. rotundè fa-
 tetur, se ob ingenii sui tenuitatem & rei difficultatem nihil solidi
 ac certi posse polliceri. Grave igitur, & nostris planè impar hu-
 meris negotium suscipimus, cum juxta dictum Thalmudistarum
 in Massechet Joma, fol. 19. column. 1. מונמר בעתקתא קשח מחרתא
Discere antiquum difficilius sit, quam novum. Sacrae
 itaque antiquitatis amore ducti negotium istud aggredimur, pi-
 etorum filios imitati, qui, cum aliquid vivis exprimere coloribus
 nequeant, ductis lineis, & tenui id ipsum penicillō adumbrant,
 nos, sicuti erraverimus, solati istō Regum sapientissimi, 1. Reg. IIX.
 v. 46. אין אדם אשר לא יחתה. Non est homo, qui non peccet:
 scilicet errare humanum ! Sit igitur σὺ Θεῶ*

CAP. I.

UNde incipiendum. Scaligeri, Platonis, &
 Theodoreti sententia, Spenceri opinio contraria. Nomina
 hic explicata Q[uo]d. Urim & Tummim Originatio. Quare sic di-
 cantur. Castellus, Buxtorfius, Schindlerus alij citati. Bellarmini de-
 rivatio monstrosa impugnatur. Urim & Tummim sunt pluralis Nu-
 meri. Cur. Cornelii à Lap. & Hachspanii opinio. Habent præfixum He
 Emphaticum. Modò coniunctim, modò sejunctim sumuntur. Behai
 citatur. Versionibus quid tribuendum. Onkelos non vertit. Cur Non.
 Septuaginta & alii quomodo verterunt. Latini quomodo vertant.
 Ariemontani & Tremellii sententia. חֶשֶׁן unde derivetur. Forsteri
 derivatio. Graecorum versio. Dicitur λογίον. Cur. Josephus quomo-
 do vertit. Drusii sententia. Dicitur Rationale. Gentiles Christiano-
 rum

rum ritus imitantur. Spencerius notatus. Fabricius laudatus. ינש
תומשפט Quid: Vesti Sacerdotales qvot & qvales. Descriptio &
confessio τὸ ιερόν. τὸ Ephod Originatio & Homonymia, & quid
fuerit.

I.

A b ovo, qvod ajunt, ut ordiamur, præmittenda omnino ὄνοματα.
τοποθεσία s. nominum evolutio, qvippe à nominibus incipiendum docet subtilitatum Magister Scaliger Exercitat. I. sect. I.
juxta illud Platonis in Gorgia: ὅς τὰ ὄνοματα ὅδε, σύστηκεν
τὰ περιγυμάτα: Qui novit nomina, novit etiam res. His gemella
habet, cit. Clar. Hotting. Exercit. AntiMorin. th 3. p.2. Theodo-
retus. Καὶ ἡνα Λέλεξις διπλύτως περιβαίνει μηδέν αὐτοβαλ-
λούσιν μεταξὺ ξηρών πλαισίων τὸν λόρον, δῆ τινεῖν γί-
νεσθαι τὰ ὄνομά των τὰς σημασίας, h. e. ut discursus sine impedi-
mento procedat, & nulla ambiguitas explicationi interjecta sermo-
nem retardet, oportet nominum significationes planas fieri. Atque
hæc sententia contraria omnino, & è diametro opposita est sen-
tentia Joh. Spenceri, qvippe qui prius de re, qvam de nomine
agendum censem, cum minus negotii facessat natura rerum, qvam
origo nominum, inq; nominis scientiam per rei cognitionem fe-
licius dirigamur. vid. cap. 5. sect. 5. pag. 257. sed hanc sententiam,
tanquam absurdam & veritati minus congruam recitando refu-
tavit Clar. Carpzovius in Notis ad Schic: Jus Regium p.32.

II.

Quatuor igitur hæc consideranda nobis veniunt nomina, tum
ipsius Insignis Aharonitici, tum rerum, qvibus istud insertum fuit:
Nos de omnibus ita agemus, ut primò de Etymologiâ, adjunctâ,
si qvæ fuerit, homonymiâ, & deinde de qvamplurimis Versioni-
bus, aliisque, qvæ huc pertinere possint, pro instituti nostri ratio-
ne paucis disseramus.

III.

Qvod itaque attinet voces תְּמִימָה & תְּמִימָה, (nam has
duas, cum in scriptura conjuncta reperiuntur, hæc etiam conjun-

gere, non adeo improbabile erit.) sunt voces origine Hebreæ &
 qvidem pluralis numeri, ה Hajedia s. demonstrativus affectus: &
 derivatur altera qvidem à radice אָרֶךְ h. e. lucere, altera à radice חַמֵּם h. e. perfectum esse. Rationem hujus derivationis haud
 certè incongruam reddunt ipsi Thalmudistæ in Mafs. Joma. c. 7.
 fol. 33. 2. **לְמֹת נִקְרָא שְׁמָן אֲוֹרִים וְתוֹמִים שְׁמָאוֹרִים**
אֲתָּה רַבְרוּחַן / תּוֹמִים שְׁמָשְׁלִימִין אֲתָּה רַבְרוּחַן :
*Quare vocatur nomen illorum Urim & Tummim: Urim, qvia illu-
 minabant verba ipsorum. Tummim, qvia perficiebant verba illo-
 rum. Vid. Clar. Buxtorf. Pater in Lexic. Hebr. p. 13. & Filius in Ex-
 ercit. Philolog. III. p. 277. qui etiam aliud testimonium ex Thal-
 mude Hierosolymit. & Thargum Jonath: affert, cuius posterio-
 ris verba, utpote priora paulò latius explicantia, nos Φιλανταλί-
 ουγλωττίας ἔνενα huc transcribere operæ pretium ducimus, qvæ
 ita habent :
וְתִתְחַנֵּן בְּחַשֵּׁן רְנוּנָה יְהִי אָרוֹנָה וְמִנְהָרִין :
מְלֹיחָהוּן וּמְפֻרְסָמִין טְמִירָה רְבִיתָה וְשָׁאָלָה וְתּוֹמִים :
רְמַשְׁלִימִין בְּעַובְרוּחַן לְכַהוֹנָה רְבָא הַחֲבָע אַוְלְפָנִים :
מְלֹיחָהוּן וּמְפֻרְסָמִין טְמִירָה רְבִיתָה וְשָׁאָלָה וְתּוֹמִים :
רְמַשְׁלִימִין בְּעַובְרוּחַן לְכַהוֹנָה רְבָא הַחֲבָע אַוְלְפָנִים :
*Et Inde pectorali Urim, qvæ illuminant
 verba illorum & revelant occulta domus Israëlis, & Tummim, qvæ
 perficiunt operibus suis sacerdotem magnum, qui querit doctrinam
 à Domino per ea. Relinqvitur ergo τὰ Urim & Tummim à
 luce & perfectione ita dici, qvalis verò illa fuerit, non liquet:*
 vid. Buxtorf. loc. cit.*

IV.

Atqve has harum vocum radices esse, constans Philologorum
 & Lexicographorum est sententia. vid. Pagnin. in Lexic. in
 radic. אָרֶךְ & חַמֵּם. Schindlerus in Lexic. Pentaglott. col. 42. Bux-
 torf. Lexic. Hebr. pag. 13. & 64. & in Lexic. Chaldaic. Thalmud.
 Rabb. num. 45. Castellus in Lexic. Heptaglott. n. 65. Ravanell.
 Biblioth. S. Tom. 2. p. 1522. Martinius in Lexic. Etymolog. in vo-
 ce Urim. Sixtin. Amama in Antibarb. Bibl. lib. 2. p. 566. & in Cen-
 sur.

fur. Vulg. Vers. pag. 123. Delrio Disquisit. Magic. lib. 4. c. 1.
q.v. sect. 2. Momma de Oeconom. Eccl. c. 9. pag. 367. aliique
quam plurimi, adeo ut haud immerito ad omnia Lexica Ebrae-
rum, Christianorum, Protestantium & Pontificiorum provo-
cket Amama l.c.

V.

Magnus autem ille Pontificiorum Promachus Cardinalis Bellarminus authoritatem Vulgatae Versionis, & infallibilitatem Romani Pontificis asserturus novam his vocibus originem affingere non erubuit: Verba illius ex lib. 4. de P. R. cit. B. Meisner. Phil. Sobr. part. 2. c. 3. q.v. 3. sect. 1. hæc sunt: Nec obstat, quod Iudei & judaizantes dicant, **אורים** non significare doctrinam, sed splendorem à radice, **אור**, & **תומים** non significare veritatem, sed perfectionem à radice, nam magis credendum est Hieronymo, qui vertit doctrinam & veritatem, & LXX, qui vesterunt δηλωσιν οὐδὲ αληθειαν, quam omnibus Rabbini, & hinc dicendum est: **אורים** deduci à **ירן**, quod est docuit, & **תומים** à Rad. **עמן**, quod est credidit. Egregia certè & digna tanto viro sententia! sed quid mirum? cum autoritatem Pontificis propugnaturi, nescio quid non asserere soleant Papicola: scilicet, quot hic verba, tot ferè Φοελιναὶ αὐδοματα, ea autem ad examinis incidem revocare noluimus omnia, aliis eadem relinquentes. Egregiam huic rei navarunt operam B. Meisn. loc. cit. & Chamier Panstrat. Cath. T. 1. l. 3. c. 3. § 5. Ea autem, quæ scopo nostro inserviunt, in compendium ita redigunt Epitomato Bellarmi. F. I. Baptista De Seois Tom. 1. p. 215. Jussit, inquit, Dominus ponit in rationale Pontificis **אורים** & **תומים** **אורים** Urim & Tummim, (quicquid dicant Rabbini (δηλωσιν οὐδὲ αληθειαν, juxta septuaginta, Doctrinam & veritatem juxta Hieronymum, nempe, (ut in margine scriptum) **ירנה** Jarab docuit, & **עמן** Aman credidit. Verum monstrosa admodum & absurda hæc est derivatio, & (ut verbis utar Clar. Dilherri. lib. 1. Elect. p. 36.) omnia Grammaticorum tribunalia perfringit, ipsiq; analogiæ Grammaticæ repugnat,

gnat , qvippe nunquam ita mutari , nedum abjici solent literæ radicales , qvin aliquod earundem signum aut indicium relin- qvatur , nam ex qviescentibus Pe Jod s. primâ radicali derivata vel Jod nudum abjiciunt , vel à fronte tegendum in Vau Cho- lem mutant : vid. Schich. Horol. Hebr. p. m. 30. & à qviescen- tibus Pe Aleph orta , regularia plerumqve sunt , nec primam radicalem amittere solent . Qvod ipsum agnovit Clar. Hach- span. in Not. Phil. part. i. p. 82. qvi , hæ , inquit , derivationes fal- se sunt & ridiculae , si enim אָרוֹן ab הַרְוָה docuit , unde נ in illud irrepsit , & si תּוֹמִיד ab אֲמֵן , cur Aleph abjectum , Mem vero dagesatum . Egregia certè est similitudo , qvam affert : in Censur. Vulg. Verl. loc. cit. Amama. Balbus , inquit , apud Ciceronem lib. 2. de Nat. Deor. Neptunum à nando derivabat , uni- cā literā retentā , at hōc in persona Cotta falsè ridet Cicero , aitq; Balbum sibi in ea originatione magis visum natāsse , qvām Neptūnum ; Nam stante Bellarmini sententiā post abjectas literas ser- viles unica tantum in qualibet voce litera remanet , qvod in hac lingva , (nullō scil. signō remanente) prorsus insolens & inus- tatum . Argumenta illius qvod attinet , fatemur qvidem Se- ptuaginta in his , ut in aliis , sensum potius , qvām verba vertisse , inde tamen certi qvid statuere velle absurdum est , nam de vo- cibus Hebræis , non ex versionibus , sed ex fonte ipso dijudican- dum , & Hieronymus , licet Ebrææ lingvæ peritisimus , in mul- tis tamen se verborum ambiguitate deceptum & in transeren- do hallucinatum fuisse , ipse in Commentario ad cap. XIX. Esaiæ fatetur ; ejus igitur versioni omnimodam fidem habendam esse , stultus est , qvi dixerit . vid. Sixtin. Amama l. c. atqve hinc etiam ipse Bellarminus à sociennis suis deseritur , qvippe qvi lingvæ hujus illō peritiores communem amplecti sententiam non dubitarunt : Unus pro omnibus erit Arias Montanus , is in libro suo de Aharone Insigne illud ex usu & natura sua Urn & Tummim dici , & ex verbo per inflammations & perfectio- nes reddi posse afferit : Conf. Cornel. à Lapid. in Exod. p. 548. & Delrio Loc. cit.

VI. Di-

VI.

Diximus paragr. III. Nomina hæc esse pluralis numeri, atque hoc ipsum liquet ex terminatione **תָּא**, quam pluralis Numeri esse largiuntur omnes, quotquot Grammaticorum se profiteri filios volunt, quanquam negari non potest, multa reperiri nomina, quæ terminationem quidem pluralem, sed significacionem singularem habent. Causæ autem, cur ita adhibita sunt, variae afferuntur. Nonnulli secuti Cornelium à Lapide loc. cit. dicunt, hic esse Enallagen Numeri pluralis pro singulari, quam certè in scriptura usitatisimam esse ad denotandam rei excellentiam & magnitudinem testatur B. Glassius Philol. S. lib. 3. tract. 1. can. 24. pag. 88. & ex illo Hervart. in Scrutin. Philol. pag. 14. Nec forsitan aliena Hachspanii opinio, qui loc. cit. pluralem numerum ad exhibendam perfectionem adhibitum fuisse afferit. Nos gemmas illas duplo pectoralis insertas, quas τα Urim & Tummim fuisse inferius probabimus, duodecim adeoque numero plures fuisse dicimus, ideoque ad denotandam hanc pluralitatem Numerum pluralem, quippe qui vi vocis plura importat, adhibitum fuisse contendimus.

VII.

Diximus præterea esse **תְּ** demonstrativō affectas: Non autem possumus illis assentiri, qui cum R. Bechai, Nachmanide, aliisque faciunt, & ideo **תְּ** illud adhibitum dicunt, ut denotetur αχειρόποντό **תְּ** esse, nam hanc sententiam veritati minus congruam esse, inferius probabitur: sed nos affirrimus, **תְּ** illud adhiberi **תְּ** עַנְנָה קִזְרָל ad confortationem sensus, ut loquuntur Hebrei, h. e. ob singularem Emphasim, ut non simpliciter, sed cum additâ notatione, adhibeantur, ut dígito quasi monstretur, dicendo istas illuminationes, istas perfectiones. Ita Arias Montanus. Conf. Cornel. à Lapide L. c. nam hoc proprium illius officium esse, vel ex solo capite septimo Elia. vers. 14. liquet: vid. Deuteronom. 3. 25. Qvanquam non

non negemus, ἐν illud ἀνευ ἐμφύσεως plurimis in locis adhiberi : vid. Glasius Philos. S. lib. 4. tract. 1. pag. 642. Hervart. in scrut. Philolog. pag. 146.

II X.

Diximus denique has voces haud incommodè conjungi posse ; notandum verò , eas non solum conjungi , sed etiam synechdochice *Urim* poni solum , v.g. Numer. XXVII. 21. & I. Sam. XXVIII. 6. Causam hujus reddit R. Bechai apud Buxtorf. Exercit. cit. pag. 277. his verbis :

לא הזכיר הთומים כו וורה והוא כו האורים עיקר השמות שמקהבת הוי מאירות האותיות לעני הכהן לרעת העתידות
והתומים לא הוי אלא לזוג האותיות זו עס זו להתרים אותם בחבור ההיבות עיר שוויהם לכ הכהן תמים ביריעתן ועל כן הזכיר מה שהוויא עיקר ושחק מן התומים אבל לעולם לא הוי אורים בלתי ה兜ים כי שניהם רבר אחר ושניהם :

h. e. *Non nominat hic Tummi, quia Urim fuerunt nomina Principalia, quorum virtute literae lucem emittebant in oculos sacerdotum. Tummi, non alio inserviebant, nisi ad combinandas inter se literas, quae lucebant, ad perfectas inde eliciendas voces ut sacerdos in animo suo de illis certus esset; idē mentionem facit tantum principalis, & retinet minus principale. Nunquam tamen erant Urim sine Tummi, utrags enim rem eandem & unam conficiebant & perficiebant. Hactenus Bechai, qui recte quidem statuit, τὰ Urim & Tummi esse causas socias, scilicet ad unam eandemque rem simul concurrere, sed an Principale Urim fuerit, Tummi verò minus principale, de hoc merito dubitamus, præsertim, cum, (quod etiam*

etiam notandum) in sacris literis modò τὰ Urim, modò τὰ Tummim præponantur, hinc enim æq;ualitas illorum vel maximè patescit. Satis de his nominibus ipsis.

IX.

Versiones quod attinet, de earum præstantia & utilitate disserere nostri non est instituti. Illas certè non negligendas esse censemus cum Magno Heinsio, cuius verba in Prolegom. Aristarchi S. p. m. 665. contra contemptores illarum hæc sunt: *Quid Thargumistæ verè eruditissimi, quid Septuaginta, quos Apostoli non semelexprimunt, quid Symmachus, quid Aqvila, quid Theodotion, quid alii ad veram verbi DEI explicationem conferant, non magis forsan satagitatis, quam utrum Empedocles an sterminium deliret acumen.* Omnes autem à nobis ut hic afferantur versiones, non est, quod à nobis quis exspectet, præstantiores adduxisse sufficiat.

X.

Primas itaque Orientalibus tribuimus, & Syrus, Arabs & Samaritanus nomina ista rectè verterunt per voces, eandem, quam Ebrææ, significationem habentes, nam, ut loquitur Aben Esra: שֵׁבֶת אַחֲרֵי דְּבָרִים unum & verba diversa, h. e. ut explicat Celeberr. Pochokius in Not. Miscell. ad Port. Mos. p. 5. Unius lingvæ Dialecti variae, quarum Hebrææ Mater, reliquæ autem filiæ Matri non absimiles. Vid. Hotting. in Smegmat. Orient. Paraphrastes verò Chaldæus Onkelos voces Ebræas retinuit, terminazione saltem Ebraicâ בָּז in Chaldaicam נָז mutatā. Atque hoc ipsum nonnulli factum putant ex odio in Christianos, quod qvidem longè maximum esse vel ex hoc Thalmudistarum liquet, in Maslechet Sanhedrim: c. 7. fol. 59. 1.

אַנְמָר

אומר רבי יוחנן גז שעשך בתורה חיוב מיתה
של הורה צוה לנו משה מורשה לנו מורה
ולא להט : h.e. ut vertit Clar. Cocceus in Excerpt.
ad Gemar. Sanhedrin. pag. 274. *Dixit Rabbi Jochanan, Gen-*
tilia, si operam det legi, reus mortis, quia dicitur, Legem tu-
dit nobis Moses hereditatem; Nostra scilicet hereditas est, non
illorum. vid. hac de re plura apud Hachspan. ad librum
Nizzachon, p. 278. Gerson in Thalmud. pag. 67. & Pfeiffer.
in Not. Philol. ad libr. סור מרע : Nos autem illum ideo
illud fecisse non credimus, cum titulô isto, (Christianorum
scilicet) ut ait Schichardus in Bechinat Happerusch. pag. 24.
longè fuerit antiquior; sed potius assertimus illum ex igno-
rancia fecisse: quandoqvidem enim sub templo secundò vi-
xit, à quo ex mente Hebraorum, ut Disputat. sequente au-
diatur, abfuere τὰ Urim & Tummim, veram harum vocum
viam & significationem ignoravit; noluit itaque Paraphrasin
suam malâ & incongruâ harum vocum translatione defenda-
re, ratus forsitan melius esse tacere, quam male loqui.

XI.

Græcas versiones qvod concernit, nec illæ conveniunt:
Optima, & qvæ ad veritatem Ebraicam quam proximè ac-
cedit, est Aqvila, qui vertit Φωλίσμας καὶ πλειώσεις, h. e.
illuminationes & perfectiones. Longius vero ab eadem re-
cedit LXX viralis, qvæ per διάλογον καὶ αληθειῶν, h. e. decla-
rationem & veritatem transtulit. Atque haec versio, qvæ vo-
ces qvidem planè incongrua, qvæ sensum vero non adeo est
incommoda, ideoque, ut recte monet Buxtorf. in Exercit.
cit., non simpliciter rejicienda, aut exagitanda, nam si rem
ipsam spectemus, ea omnino ex ordinatione divina virtu-
tem διάλογος & docendæ αληθειῶν habuit, atque ex pecto-
rali, cui inserta erant Urim & Tummim, omnis divinæ veri-
tatis cognitio, & voluntatis Dei populo communicata fuit,
ut

ut loqvitur Clariss. Heinsius in Exercit. ad N. T. p. 587. Ex eo autem, qvōd tum Aqvila, tum LXX. vocem Theraphim, iisdem qvibus Urim & Tummim, vocibus transtulere, ortum suspicor, qvod nonnulli Urim & Tummim Theraphim fuisse arbitrentur vid Clariss. Seldenus de Diis Syris Syntagm. I. p. m. 102.

XII.

Ex Latinis Vulgatus & Hieronymus (nam has duas diver-
fas esse versiones notissimum) Septuaginta secuti , Doctrinam
& veritatem verterunt , de qvib⁹ cum idem sit , ac de Septua-
ginta judicium , nolumus idem hic repetere , ne actum agamus .
Paucis : sensum potius , qvam verba respexerunt , & ineptum ,
esse inde desumptum Bellarmini argumentum supra par. 5 , de-
monstravimus . Arias Montanus verò , nec non Tremellius ac
Junius , lingvæ Hebrææ peritisimi , cur non verterint , causam ,
video nullam , nisi qvod ille ideo fecerit , ne æmulis suis Vulga-
tæ versionis Patronis ansam calumniandi relinqveret , à qvo ra-
men se non fuisse immunem ipse conqveritur in præfat. Bibl.
Interlin. & (cit. Riveto in Isagog. pag. 147.) in peculiari Ope-
re de Liter. Hebraic. Scriptione . Hos verò non aliam habuisse
causam arbitror , qvam qvod , ut ipsi in Not. Marginal. ad E-
xod. XXIX. 30. fatentur , qvæ & qualia fuerint , non constet .
Satis de his vocibus . Pergimus ad alias .

XIII.

Tertia vox est יְשָׁמֵחַ seu pectorale , vel , ut alii , Rationale ;
Qvænam autem vera & genuina ejus sit origo , non adeò facile
est expiscari : Ipse Kimchius , & qui eum seqvuntur , Lexicogra-
phorum qvamplurimi , Pagninus utpote , Avenarius , Schindler-
rus , Buxtorffius , Castellus , aliq; nullam hujus vocis radicem
ponunt . Forsterus vel ex odio in Judæos , qvō ipsum flagrasse
testis est Clariss. Schichard. in Bechinat. Happerusch : pag. 108.
vel qvod forsitan verius , usitatam nominum formationem spe-
ctando , Nun illud servile facit , & à radice יְשָׁמֵחַ , h.e. filuit ,
derivari afferit , ideo qvia tacita Dei voluntas in eo comprehen-

deretur. vid. Mercer. ad Lex: Pagnin. Aliis placet hanc vocem
à ωράνῳ, qvod augurari vel divinare significat, deductam esse, sed
cum longius petita sit ista derivatio, eam non ita magni mo-
menti judicamus.

XIV.

Versiones qvod concernit, à variis variè vertitur. Ex Græ-
cis Svidas per λογεῖον vertit, qvod ita describit: λογεῖον τὸ μαν-
τεῖον, ὅπερ ἐθόπεις οἱ ιερεῖς, τὸ ὃ ποὺ εὐηκολουμένον οἱ ιερά-
θοι: hoc est: Oraculum, qvod gestabat Sacerdos, in quo insculpti
erant duodecim Lapides. Septuaginta modò λογεῖον, modò,
(qvod rectius) λόγιον: λόγιον verò non incommodè dici pos-
se patet ex definitione τῶν λόγων, qvam habet Svidas. L. c. λό-
για, inquit, τὰ τῷ τὰς Θεῖς λεγόμενα. Oracula sunt divina
responsa. Hinc etiam Judæis dicuntur concredita τῷ λόγια τῇ
Θεῖ, Dei eloquia vel responsa: hoc est, sanctissima illa sacra-
rum literarum oracula. Josephus voce Ebræa retentā qvidem,
sed paululum immutatā, Essen appellat. Εστεν μεν καλέσται,
οημαῖες δὲ κατὰ τὴν ἐλλήνων γλώσσαν λόγιον. Essen vocatur,
significat autem Græcorum lingvâ Rationale Lib. 3. Antiqvit. Jud.
cap. 8. p. m. 85. Phil. Libr. 3. de Vit. Mos. etiam λόγιον appellat
Drusius verò: Ad Loc. difficil. Exod. cap. 50. φεισθοίον di-
ci mavult, & mendum in loco citato Josephi esse arbitra-
tur.

XV.

Ex latinis Vulgatus & Hieronymus itidem Septuaginta
secuti, vertunt Rationale, qvod ipsum cur fecerint, rationes
dantur varia. Meisnerus Phil. Sobr. part. 2. sect. 9. qvæst.
3. Rationale, inquit, dictum est, qvod, cum per illud edereniur di-
vinare responsa, non visa fuerit res quædam irrationalis, sed ratione
& intelligentia pollens. Petrus Cunæus Libr. 2. de Republ.
Hebr cap. 1. pag. m. 123. Choschen seu rationale, ait, diceba-
tur, propterea qvod cordis rationis, sedem cingeret. Tremellius
verò & Junius, qvibus assentitur Drusius loc. cit., pectorale
trans-

transtulerunt. Alii rationale dictum putant, qvod inde rationes seu consilia certa & perfecta redderentur: Rationem enim & consilium temeritati & casui contraria esse, testis est Cicero lib. 2. de Divinit. cap. X. & alibi. Ex Germanicis Piscator reddit eis Brust-Tuch respiciens fortasse ad illos, qui pectorale vertunt, Lutherus vertit ein Schildlein idque forsan ab externa forma, qvâ, ut multis placet, clypeum seu scutum referebat. Atqve hinc non ineptè suspicantur nonnulli originem traxisse gentilium morem, qvi Sacerdotes suos, qvos Marti consecratos, Salios dixerunt, æneoqvodam pectoris tegumento gaudere. caelestiaq; habere arma jusserunt, qvæ Ancilia dicta cælitus delapsa fingebat maximus superstitionis Autor Numa Pompilius, ut refert Livius Decad. I. Libr. I. pag. m. 64. & ex eo Dionys. Halicarnass. Lib. 2. Scilicet hoc certum, imò certissimum, Gentiles multa, tam qvâ sacra, tam qvâ profana, ex Judæis hausisse eademqve minus bene intellecta in superstitionem traxisse: Pulchre Taubmannus in præfat. ad Cirin Virgilii: *in sacris, inqvit, literis paucas historias esse arbitror, miraculis præsertim aut mysteriis insignes, quas Diabolus, cuius sunt partes intervertendi veritatem, non emulanter, ut Tertullianus loquitur, affectarit exprimere.* Sic Sacerdotes Ægyptiorum auream imaginem, cui nomen ἀλήθεια seu veritas, coll. gestasse, testis est Ælian. lib. 14. Var. Histor. cap. 14. & Diodor. Sicul. Lib. 2. Rer. Ægyptiac. Vid. hac de re. Scaliger libt. 7. de Emendat. Tempor. p. m. 654. Grotius in Not. ad Exod. 28. 30. Dn. D. Calovius in Bibl. Illustr. ad Eund. loc. Qvistorp. ad Eund. loc. Dilherr. in Elect. Libr. I. pag. 36. Martinus in Lex. Etymol. in voce Urim. Spencerus tract. de Urim & Tummim, alioq;. Cæterum de gentilium inimitandis Ebraæotum ritibus καινογνωστικæ qvædam habet M. Kipping. Antiquit. Rom. libr. I. cap. 10. & 12. & multò plura B. Fabricius in prolixa illa & verè erudita sub præsidio Clariss. Dilherr. Jenæ olim habita Disputatione, cui nomen *SIMIA DEI DIABOLUS*, qvod effatum à Clar. Schich. in Jure Regio: pag. m. 26. adhibitum immerito suggillat Spencerus loc. cit., dignus, qui ideo notetur à Clariss. Carpzovio ad loc. cit. Schichard.

XVI.

Hoc autem, quod diximus pectorale, non saltem dicitur simpliciter עמשן, sed cum addito המשט Pectorale iudicii, ideo quod in eo erant Urim & Tummim, per quae Pontifex Iudicia Dei abscondita revelare poterat. Judæi hac de re non consentiunt. AbenEsra in Comment. ad Exod. 28, 30, ait significare : רני השם וגנורתו העתורה. *Judicia Dei & decreta ejus futura*. Rabbi Salomo Ben Melech in Michlol Jophi לפי שהו עלון האורים והחומיים : *Qvia in eo erant Urim & Tummim, quae docebant, quomodo se gereret homo, cum interrogaret ea.* Quae reliquorum sunt sententiae, cum allara sint à Drusio loc. cit., nolumus hic easdem adducere. Tremellius verò & Junius forsitan non incommodè verterunt pectorale juris, quia eo induebatur summus Sacerdos consulentiis Deum de jure responsurus. Nec certè rejicienda illorum opinio qui Enallagen, ut ita loquar, substantivi pro adjectivo esse volunt, ut scilicet posterius substantivum loco adjectivi sit, quod in sacris admodum usitatum multis exemplis ex utroque fœdere probat Glassius Phil. S. lib. 3 tractat. 1. cap. 8. m. 2. p. 34. seq. & ex eo Herv. Scrut. Philol. p. 6.

XVII.

Restat, ut quid fuerit, & quomodo confectum fuerit istud pectorale, disquiramus. Vestem Sacerdotalem fuisse notissimum est, nec est, qui ipsum negare audeat, cum expresse illius in scriptura fiat mentio. Fuere autem (ut de his ἀεὶ τὰ παρόντα agamus) vestimenta Sacerdotalia duplicitis generis, alia Sacerdoti vulgaricum Pontifice communia, alii Pontifici propria. Illa fuerunt quatuor, scil. מכנסים indusum, foemoralia. Tiara & אבןת מגבעת Baltheus. Hæc fuerunt quatuor sequentia. Palliolum, מעל humerale, המשט Pectorale, & Cidaris sive corona: Vestium autem Pontificis, alia vocabantur בגדו לבן seu aureæ, alia בגד זהב seu albæ, quæ ex filo sexduplicato & lino tenuissimo solo confectæ erant, atque hinc

hinc etiam Pontifex בגדים מיריבת multis vestib⁹ amictus dicitur:
Vid. Sigonius de Republ. Ebræor. l. 2. c. 81. Cunæus de Republ E-
braeor. lib. 2. c. 1. Seldenus de Success. in Pontific. lib. 2. cap. 7. &
Maimonides in Hilchot Kele Hammichdash. cap. 10. Fuit itaque
vestis Sacerdotalis ex serico & auro confecta, spithamæ unius
longitudinem & latitudinem habens, cuius talem ex Maimonide
descriptionem habemus. *Quæ ratio erat ipsius operis?* Coſchen:
continebat vestis quædam מעשיה חשב opere ingeniosō polymitō,
ex auro, Hyacinthino & coccineo dibapho, purpura & Byſſo vigin-
ti octo scilicet: longitudo erat cubitus, latitudo spithama, ita ut quadra-
tum effet & undiqueque spithamale, sicut dicitur: quadratum erit
& duplicatum. Exod. 28. Plura vid. apud Maimoniden loco
citatō.

XIX.

Quartum denique & ultimum vocabulum est אפר seu hu-
merale quod derivatur à radice אפר, quæ idem significat, ac
חנָב, ligare, constringere. Ethoc ipsum variè in sacris adhiberi
solet, modo enim accipitur pro tenui illo, & è lino confecto ami-
culo כהן הדיות seu Sacerdotis vulgaris & levitæ, ut videre est ex
I. Samuel. II. 18. ubi de Samuele è tribu levi oriundō & qvidem ad-
huc puerο dicitur, quoq; fuerit amictus Ephod linea, in signum, ut
annotant Rabbi Levi Ben Gersom, David Kimchi & Aberbanel
: כי יהו לבושים אוטו כל הכהנים *Quod esset separatus ad mini-*
sterium Domini, nam ve-
ftiti eo erant omnes in universum Sacerdotes. Deinde significat
vestem sive longam, sive brevem, sive Regum, sive Sacerdotum,
vid. Kimchi ad loc. cit. Samuel. sumitur etiam collectivè, ut com-
prehendat, tum Amiculum, tum Urim & Tummim, ac pectorale,
vid. I. Sam. XXXVI. 7. Propriè denique & specialiter accipitur
pro veste summi Sacerdotis, h. e. amiculo superhumerali ex coc-
cino, hyacintho & byſſo contexto, cuius prolixam descriptionem
vide apud Maimoniden loc. cit. & Joseph. lib. 3. Antiqvit. Jud. c.
8. conf. Rabbi Salomo, & Aberbanel ad Loc. cit. Exod. Atque hæc
de evolutione nominum seu ὀνοματος ψευδια sufficiant: nos brevi-
tatis Studiosi ad alia progrēdimur.

CAP. II.

Autor τῶν Urim & Tummim qui fuerit. Eruditorum de eo
dissensus. Bechai Nachmanidis, & aliorum sententia ἀχειροποίητος
statuentium sententia impugnata. Fuit מושעה יר seu opus manus fa-
tum. τὰ Urim & Tummim quid fuerint. Autorum dissensus.
Rabbi Salomo Ben Melech citatus. Non fuit scriptura nominis tetra-
grammati. Cabballistarum & aliorum opinio rejecta. Non fuerunt
Tberaphim. Theraphim quid. Nec fuerunt ipsum Coschen seu pecto-
pectorale: Cur. Fuerunt duodecim gemmæ pectorali insertæ. Ratio
hujus sententiae adducitur.

Rem itaque ipsam aggressori de τῶν Urim & Tummim Effici-
ente, Forma, Materia, usu & duratione & his annexis paucis dis-
seremus.

II.

Quod primum concernit, quis præstantissimi hujus Insignis
Aharonitici autor fuerit, de eo ut loquuntur Hebrei, in Thalmodi
Pesachim fol. 111. & Nidda fol. 66. n. 1. אין כל עצבות חכמים
שווות: Non omnes eruditorum digiti sunt equales. Multi iiq; do-
ctissimi Viri tam ex Rabbinis, quam Christianis מעשה שמות
ἀχειροποίητον dicunt, Deumq; ipsum hujus Insignis Authorem
faciunt. Ita enim Aberbanel Commentar. in Legem fol. 199.
ולהוות בחשין האורים ורותמיים מעשה שמות ולא מעשׂה
חרש لكن לא נזכרה בזום לשון עשויה כשאר הכלים והכגמים
ונזכרנו בהא הוריו למעליהם וכפחו וושכנן מקром לגן
ערן את חסובים ולא נזכיר החסובים קרום لكن ומכו
שכתב רם: Qvia in pectorali erant Urim & Tummim
opus d'vinum non artificis, ut reliqua vasa & vestimenta, non dicun-
tur facta esse, & ad indicandam excellentiam illorum παραδemonstrati-
vum occurrit, sicut Gen. III 24 in חסובים & nulla ejus ante facta
est mentio, uti Ramban scripsit: Verba Rambanis, ad quæ provocat
Aberbanel, ut ut satis prolixa, hic tamen afferre non gravabitur.
Nulla omnino fit mentio τῶν Urim & Tummim inter opera Artificum,
& qui-

¶ quidem neque in mandato, neque in ejus executione, ut expressè dicitur. Et fecit Ephod, & fecit Choschen, sed non dicitur, & fecit Urim & Tummim: quod si opus artificis fuisset, sine dubio prolixius de illis, quam de ullo alio differuisse, aut si brevius de illis loqui voluisse, dixisset saltem. Et facies Urim & Tummim, sicut ostensum tibi est in monte, ex auro puro & argento facies ea. Et postea. Nunquam alius, facit, quam Mōsis solus mentionem, in precepto, quando dicit, Et inde in pectorale Urim & Tummim, quare, quia fuerunt opus Artificis, neque opifices ad illarum confectionem neque Ecclesia quicquam de suo contulit, sed fuit secretum, quod traditum fuit Mōsi ex ore ipsius Dei, & ille scriptis ea cum summa sanctitate, fueruntque opus divinum. Hactenus Ramban; consentit R. Bechai in Comment. ad Loc: cit: Exod. cuius verba eadem ferè cum his, allegata vid. à Claris. Hotting. Exercit. AntiMor. p. 88. conf. Arias Montanus in Aharone, Junius in Not. Margin. ad Exod. loc. cit., Piscator ad eund. loc. Simlerus ad eund. loc. Calvin. ad Exod. XXXIII. 3. Baumbach. in tractat. de Urim & Tummim: Henr. Alting. Th. Problemat. Loc. i. probl. 6. Hotting. loc. cit., qui ibidem ex Græcis Severum pro sua sententia adducit.

III.

Nos autem pace tantorum virorum, & salvâ eorundem auctoritate alteram sententiam potiorem statuimus, quam asseritur, insigne hoc opus Bezaleelis fuisse. Faremur evidenter Deum iussisse Mōsen, ut inderet pectorali Urim & Tummim, exinde tamen non sequitur, Deum ipsum gēmas istas, quas Urim & Tummim fuisse inferius patebit, perfecisse, has enim à Bezaleele elaboratas esse nemo facile negaverit, cum expressè in scriptura dicatur Exod. XXXI. 2. Bezaleelem impletum fuisse Spiritu Dei ad faciendum opus in auro & argento & sculpidis lapidibus, & quodvis, (notanter quodvis) opus ingeniosissimum fecisse asseratur. Hinc ita Aberbanel ad Exod. XXXV. 30. scribit: נָתַחֲכֹז בְּבֶצְאֵל הַכֹּה שׁוֹנִית וְחַכְמָה מְשֻׁחָת וּרְוֹעָת אָמְנוֹת מִתְחַלְפִים In Bezalele fuerunt speculatoria & practica scientia, variorum item opificiorum peritia. Nec est, quod dicant nonnulli, priorem sententiam

tentiam ex eo stabiliſi, qvod in loc. cit. Exodi , ubi hæc descri-
buntur, non adhibetur vox וְשִׁירָה Et facies (ut in reliquis,)
ſed וְנִתְחַנֵּן & in deſtis, nam ſi modo inſpiciatur verſus viges. ſext.
eiusdem capitidis, apparet, eandē vocem adhiberi de annulis au-
reis, qui in extremitate τριγωνοῦ ſeu pectoralis ponī debebant, hos
autem ab ipſo Deo, non à Bezalelel confeccos eſſe, qvempiam invi-
ta & reluſtante veritate Hebraicā aſſerturum, ut credamus, addu-
ci non poſſimus. Hæc de effiſiente.

IV.

Quid fuerint τὰ Urim & Tummim, dicturi, Cimmeriis &
plusquam Ägyptiacis involvimus tenebris, qvid optimum factu-
ſit, omnino nescii: Bene Philologorum haud ultimus in Elect.
cap. V. pag. 35. Major, inquit, in horum vocabulorum explicatione
convenientia non eſt, quām inter Horologia; imò verè huc quadrat
Scitum illud Ebræorum. הנה כל המפרשים נבכו בזה ופירושו בן
הנה פירושים שונים אין חמור נושא ספריהם : h. e. Omnes
interpretes hic perplexi ſunt, & tam varias afferunt explicationes, ut
Asinus non poſſit ferre libros illorum. Omnes ferè ſententias ſcire cui
volupe, consulat Cornel. à Lapide: in Comment. ad Ex. XXVIII.
30. Ravanel: Biblioth. S. in voce Urim. Martin. in Lexico: in
voce eadem: Edon. Neuhuf. Fatid, S. lib. I, p. 19. ſeq. nos potiorum
adductione contenti erimus.

V.

Nonnulli τὸ ἐπέχειν eligere malunt, & tanquam rem abſconditam & occultam non inquirendam eſt ſtatunt, ratiacente
Scripturā ſibi quoq; tacendum, nam nescire velle, qvæ Magister o-
ptimus docere non vult, erudita eſt inſcritia. Huic ſententiæ fovet
Rabbi Salomo Ben Melech in Michlol Jophi. לא נתרבר אצטנו
מוח'ם האורים וחותומים כי ורטה לבוי הפסוקים
שהם רביה אחר זולתי אבני החשן ורשי פורש שחוו/
כתב שם המפורש שרווד נתנו בתוך כפלי החשן ולזה
נורע דאמת: Non ligvet nobis, qvid Urim & Tummim fuerint; Ex
Scriptura autē mibi veriſimile videtur fuſſe aliud quid, quām Lapi-
des pectoralis, & Raſchi dicit fuſſe Scripturā nominis mirabiliter expositi
inditi duplo pectoralis: Verum non conſtat, an hoc verum ſit: Conſen-
tiunt

tiunt Rabbi David Kimchi, & Abraham Zeba in Zeror Hammor,
qvorum verba citata vid. apud Buxtorf. Exercit. cit. p. 288. conf.
Castellus in Lex. Heptaglott. Schich. de jure Regio : p.m.18. Mar-
tin. in Lexic. in voce Urim : Valæus in Loc. Comm. & ipse etiam
Buxtorfius post recitatas aliorum opiniones, difficile est, ait definitio-
re, qvod scripture procul dubio non sine certo consilio retinuit, sufficerit
scire, fuisse quedam symbola extraordinaria.

VI.

Altera sententia est illorum, qui existimant, fuisse **ra'urim** &
Tummim, scripturam hominis mirabiliter expositi & ineffabilis,
qvod שם המפואר illi vocant. (vid. de eo Reuchlinus de Ca-
bala : Petrus Galatin. de Arcan. Cathol. Verit. & Buxtorf. in Lex.
Ebr. in voce רוח) vel insculptam vel inscriptam ab ipso Deo la-
pidibus, vel à Mose mediante divinâ revelatione factam aut exco-
gitatam, & duplicationi pectoralis insertam. Qvale autem fuerit
istud Nomen, non consentiunt de eo inter se istius sententiae Pa-
tronii. Autor libri Zohar ait, fuisse nomen quadraginta duarum &
septuaginta duarum literarum. vid. Buxtorf. Exercit. cit. & hunc
sequitur Baal Hatturim. Alii tetragrammaton fuisse existimant:
ita Cabbalistæ, qvorum sententiam refert Abarbanel ad Loc. cit.
Exod. nec non Rabbi Salomo, Bechai, Isaac Arama & alii. Verum
cum hæc sententia è fordidis lacunis sit hausta, & meras fabulas,
& plusquam aniles nugas contineat, & præterea nullò Scripturæ
fundamento nitatur, improbanda omnino est, & rejicienda. Ex-
cipiunt quidem, ex eo, qvod cum omnium vestimentorum & va-
suum confectio in Scriptura describatur, horum autem nulla siac-
mentio, seqvi omnino, qvod fuerit divinum quid, & per conse-
quens nomen Dei inscriptum. Verum, qvam infirmo hoc ipsum
tibicine nitatur, anteà demonstravimus, imò hoc ipsum pro no-
bis urget Nobiliss. Constant. L' Empereur, in Not. ad Odoceum
R. Mosis, Kimchi. Si queris, inquit, quid Urim & Tummim fuerit,
non omnino mihi fallè videntur ii, qui à gemmis pectorali inditis
ista non distinguunt, quandoqvidem artificibus non seorsim fuere com-
missa facienda.

VII.

Tertia est eorum, qui putant, *Urim & Tummim* fuisse *Teraphim* s. imagines, quarum in scriptura sit mentio. De Teraphim, hic prolixius agere, nostri non est instituti: Paucis ut tangamus, Ita describuntur in Pircke Rabbi Eliezer. Edit. Vorst. p. 9. Quid fuerunt *Teraphim*? *Mactabant primogenitum hominis*, & ejus caput diffiniebant, & sale atq; oleo condiebant, & inscribebant lamine aurea nomen immundi spiritus, istudq; sub lingua ejus reponerent, & collocabant illud in pariete, & accendebant eoram eo lucernas, & supplicabant illi, & loquebatur cum iis. Idem habet Elias in Tisbi, cit. Athan. Kircher. in Oedip. Ægypt. Tom. I. Syntagma. 4. pag. 258. vid. Mereerus ad Lex. Pagnini in voce **תְּרָפִים**. Lutherus in cap. 30. Gen. Abulensis ad eund. loc. Vatablus ad eund. loc. Rivetus ad eund. loc. Seldenus de Diis Syris. Syntagma. I. c. 2. p. in. 97. seq. Cornel. à Lapide in cap. 30. Gen. & cap. 18. Judic. Hotting. in Histor. Orient. lib. 1. c. 8. Heidegger. in Histor. Patriarch. Tom. 2. Exercit. I. §. 37. Gafarellus in Curiositat. p. 65. & Michaelis in Not. ad eundem, qui etiam ibidem imaginem τῶν *Teraphim* exhibet. Atque huic sententia favit olim Christophorus à Castro lib. 3. de Vera fut. cognit. c. 3. refutatus à Riveto Tom. 2. Op. Theolog. fol. 1145. Et nuper Spencerus in dissert. citat. qui hanc ipsam sententiam multis rationibus probat: Sed quām monstrosa sit ista opinio, luce meridianā clarius, nam ex identitate, vel, quod certe rectius, affinitate significationis ad identitatem rei non vallet consequentia, nam simulabant tantum, ut ait Seldenus locō proximè citatō, τὰ *Teraphim* sanctitatem τῶν *Urim & Tummim*: Sed de his & aliis Spenceri vid. Clar. Carpzov. in Notis ad Schi-
chard. jus Regium pag. 44. seq.

IX.

Nec prætereunda illorum sententia, qui τὰ *Urim & Tummim* ipsum **שְׁמָן**, s. pectorale fuisse arbitrantur: sed erroneam esse & planè falsam hanc sententiam, nemo non videt, cum expressè verba summi Legislatoris habeant: Et inde pectorali *Urim & Tummim*. Et certè δις ἀλλα ταῦτα distant, & inter se pugnant res, quae inseruntur, & id, cui inseruntur, nec credendum, Deum tanquam τά-

ξεως

*Ezec & ordinis authorem adiuvat Mosi praecepisse: eadem itaque
facilitate, quæ assertur, destruitur hæc opinio.*

IX.

Misis itaque his omnibus, eorum legimus vestigia, qui ipsas
duodecim gemmas pectoralis duplo inditas esse *ta Urim & Tummim* statuunt. Et hujus sunt sententiae R. Azarias in Meor Enayim,
Brentius in cap. 28. Exod. Fagius in Paraph. Chaldaic. ad idem
caput. Oleaster in eund. Loc. aliique quamplurimi, qui easdem *Urim*
dici volunt ob splendorem l. fulgorem, & *Tummim* ob perfectio-
nem eandemq; summam, nam non dubium, quin gemmae tot in-
vicem conjunctæ, & unam quasi representantes valde sufficerint,
& insignem à se splendorem lucis, ad instar projecerint, quippe
vis unita fortior, & q; in perfectæ fuerint & integræ, nullōq; vitiō
vel maculâ notatae: & certè si uium spectemus, ita eas appellare
non absurdum fore, eo quod Pontifex pectorali, cui indita erant,
indutus, lucidam & perfectam, h. e. claram & apertam, certam &
veram, non ambiguam, qualem Oracula gentilium, dare respon-
sionem potuerit. Et hanc sententiam veram esse, probatur ex Gi-
lentio Scripturæ: quippe quæ non meminit alterius rei, quæ no-
mine isto gauderet, nam cum Moses in omnibus recensendis, quæ
ad sacra vasa & vestimenta pertinebant, accuratisimus sit, & ne
minutissima quidem pratermittat, non credibile est, ipsum illud
reticuisse, si *Urim & Tummim* diversum quid ab ipsis gemmis fuisset,
imò exactiore certè, si id fuisset, scriptura hujus Insignis de-
clarationem & descriptionem dedisset, nunc autem ne verbō quidem
de eo agi, textum insipienti manifestum est. Nec est, quod
quenquam moveat dictum Levit. VIII. vers. 8. *Et apposuit illi pec-
torale juris, indiditq; pectorali *Urim & Tummim*, nam hic taltem
narratur, quomodo Moses Aharonem vestitu illo sacrō ornave-
rit.* Benè B. Quistorpius in Comment. ad eund. loc. *Nihil, inquit,*
*ibi aliud agitur, quām quod primū sacerdos hoc suō ornatū in-
ducitur, qui scribitur, ut est factum. Hæc de forma.*

Reliqua Disputationi sequenti
retervamus.

תְּהִלָּה לְאַל יְהוָה :

Egre-

EGregium conaris opus, feliciter, opto,
Cedat, & ex votis, sunt mea vota, tuis.

De properab.

ANDR. SENNERTUS, P.P.

Academ. Sen.

Clarissimum Dn. M. Disputantem,

Amicum plurimum colendum:

ARdua, quaer tractas, ostendunt mentis acu-

men,

Ac benè ditatas pectoris acriis opes.

Hinc redeunt fructus Patriæ, Patriqz, verendo,

Lataqz, gaudendi surgit utrigz, seges.

Me quoqz, qui viridi cinxi tua tempora lauru,


Proventus studiit angit, Amice, tui.

Gratulor hinc Musis, Patriæ, Patriqz, tibiqz.

Nemo etenim hic operam perdidit ac oleum.

f.

CHRISTIANUS Röhrenseel
P. P.



OS A 1930

ULB Halle
003 778 681

3



56

VDA7



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



טַבְתָּה בְּנֵי אֹרִים רְתִוָּם

De
& Tumminim

TATIO PHILOLOGICA
P R I O R,

Qvam
SUB PRÆSIDIO
APLISSIMI & EXCELLENTISSIMI

DREÆ SENNERTI,
tal. Professoris Publ. celeberrimi,
Academiæ SENIORIS
venerandi,

CLYTA LEUCOREA
blicæ συμφιλολογίαντων ἐξετάσεων
submittit

JANNES Delreich / Scanus,
A. & R.

In Auditorio Majori.
m VI. Octobr. M. DC. LXXVII.

WITTEBERGÆ,
ATHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.